



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Nvllitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

Præsentis verofliteras, sub quibusvis similibus vel dissimilibus Indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, suspensionibus, abrogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, per nos vel successores nostros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio & ex certa scientia, ac in fauorem Cruciatæ Sanctæ, vel alias quomodolibet faciendis minime comprehendi, sed quoties illæ emanabunt, toties easdem præsentis ab illis exceptas, & nisi de eis expressa & indiuidua mentio fiat, aduersus illas in pristinum & validissimum statum restitutas, ac de nouo concessas esse, & ceteri, & perpetuo validas & efficaces fore, ac supradictis personis & Ecclesijs, perpetuis futuris temporibus suffragari debere decernimus & declaramus. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentijs ad instar, ac alijs Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunque.

Volumus autem, vt præsentium literarum exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obliuatis, eadem prorsus fides vbique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Calendis, Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Tho. Thom. Gualterutius.

Registrata apud eundem Thomam Secretarium.

A. de Alexiis.

N V L L I T A S

*Congr.
titul de
iudicijs.*

PRÆTER Summissas sciendum est, extare Constitutionem S. D. N. D. Clementis Papæ VII de Nullitatibus alias, quam ex defectu iurisdictionis, citationis, aut mandati in quocunque Tribunali status ecclesiastici non attendendis, Romæ publicatam die 22. Martii 1593. tenoris sequentis.

Litium dispendijs, & ambagibus, præsertim inter personas curæ, & iurisdictioni nostræ, etiam in temporalibus subiectas occurrere, quantum in nobis est, cupientes, statutum sel. rec. Pii Papæ IV. prædecessoris nostri, ne iudices Almae Urbis nullitates attendant, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis, aut mandati, sed illis non obstantibus ad expeditionem causarum procedant, ad omnes, & quoscunque iudices, ordinarios, & delegatos, magistratus, & officiales, in quibusdictionis nostræ temporalis ecclesiasticæ, Prouincijs, & Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis quamcunque iurisdictionem exercentes, & quauis auctoritate, & dignitate fungentes, hac nostra perpetua valitura cõstitutione extendimus, & ampliamus, atque in quocunque Tribunali, aut Curia seculari, vel ecclesiastica firmiter, & inuiolate seruari, sicque & non aliter per quoscunque, ex ipsis iudicijs, etiã causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam S. R. E. Cardinales, ac legatos etiam de latere, sublata eis & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi facultate, in quacunque causa, & instantia etiam nunc pendente, aut in futurum mouenda, ecclesiastica, prophana, civili, & criminali, aut mixta iudicari, & diffiniri, & qui-

& quibuscunque nullitatibus præter superius expressas, nequaquam attentis, ad expeditionem causarum earundem procedi debere præcipimus, & mandamus, Decernentes irritum, &c. Non obstantibus, &c.

O R D O.

PRÆTER Summissas in hoc verbo sciendum est, quod in materia Ordinationum ultra disposita per anteriores canones, ac per Conc. Trid. præsertim sess. 23. a. c. 2. vsq. ad 18. & sess. 21. c. 2. & sess. 7. c. 10. & 11. (cuius Concil. Trid. decreta referuntur per extensum in Pontif. nouissime ædito iussu S. D. N. D. Clem. viij. In prin. in tit. de ordinibus conferendis) extat etiam quatuor Summorū Pōtificum Constitutiones nempe Pij 2. Pii v. Sixti v. & Clementis 8. & eiusdem declarationes editæ per Sacram Congregationem, quas referam. Prima est Pii Secūdi contra promotos ante legitimam ætatem, aut extra tempora, aut sine dimissoriis in Bullar. fol. 79. tenoris seq.

Cum ex factorum ordinum collatione, character inuisibilis animæ imprimatur, sacra mysteria dispensentur, & ipsarum cura tribuatur animarum: in eorum susceptione excessus graues tanto magis plectendi sunt quanto ex illis maiora, in mentibus fidelium scandala generantur. Cum itaque (sicut dignorum relatione non nisi moleste accepimus) nonnulli clerici extra tempora a iure statuta, quidam ante atatem legitimam, alij vero sine dimissoriis literis, contra sanctiones canonicas, se faciunt ad sacros ordines promoueri: nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes, vt alijs in posterum committendi similia aditus præcludatur, auctoritate Apostolica, hac constitutione perpetuo valitura statuiamus, & ordinamus, quod omnes, & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, siue extra tempora a iure statuta, siue ante atatem legitimam, vel absque dimissoriis literis, etiam citramontanis, præterquam si in hoc ultimo casu per Cameram Apostolicam, iuxta illius stylum ordinati fuerint, & ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, a suorum ordinum executione, ipso iure suspensi sint, & si huiusmodi suspensione durante eisdem ordinibus ministrare præsumperint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter a iure inflictas, beneficijs ecclesiasticis possint iure priuari. Volumus autem, quod præsens nostra constitutio, in Romana Curia existentes, post quindecim dies, absente vero Italicos post duos menses; alios vero Ultra montanos, post sex menses, ab ipsius in audientia contradictarum, & Cancellaria Apostolica, publicatione, & affixione, ligare incipiat. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ 1461.

Colliguntur ex d. Pii 2. Constitutiones tria requisita in promouendo ad sacros ordines circa quæ plura consideratione digna, & vix frequentia ex diuersorum Doctorum dictis ad communem vtilitatem breuiter, & distincte annotare, & in vnum redigere curauimus. Primum ergo requisitum est, vt sit in atate legitima, in qua hodie attendi debet decretum Sacros. Concil. Trident. sess. 23. de ref. cap. 12. per quod disponitur, vt nullus ad Subdiaconatum ante 22. annum, ad Diaconatum ante 23. & ad Presbyteratum ante 25. promoueatur, & corrigitur text. in clem. generalem de ætat. & qualit. & sufficit annum esse incæptum. Nauar. in manua. cap. 25. sub num. 116. & in consil. 6. de ætat. & qualit. in antiq. & hoc fauoris causa. ad rem publicam §. annus ff. de mun. & honor. Imol. in d. clem. generalem, nu. 14. in fine. Syluest. in verbo Aetas, sub nu. 4. qui igitur ante dictam

Hh ætatem